

mus & præcipimus, ut non audeatis accedere.
Per Christum Dominum nostrum. † Ecce Cru-
cem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de
tribu Juda, radix David. Alleluja. Amen. Amen.
Amen. Fiat. Fiat.

Instructio Obstetricum.

1. Necessæ est: ut ante omnia formam Baptizandi
bene sciant dicendo Lingua vulgari: Ich tauſe
dich im Namen des Vaters † und des Soh-
nes † und des heiligen † Geistes Amen.
2. Ut in nullo alio liquore infantes baptizent,
præterquam sola aqua naturali, puta puteali,
fontana, pluviali &c.
3. Ut in baptizandis parvulis hoc intendant fa-
cere, quod facit Ecclesia catholica, cum eos
baptizat.
4. Ut nunquam ad levandum partus dolores,
vel ad partum accelerandum superstitiones aut
illicitas artes circa infantes aut parturientes
matres adhibeant.
5. Ut ab illarum prolium Baptismo semper ab-
ſtineant, quas mortuas viderint, nec ullum
vitæ signum edere.
6. Ut nunquam baptizent pueros, nisi in necessi-
tate hoc est, ubi mortis periculum metuitur.
7. Ut si puer periculum evaserit, quamprimum
deferant ad Ecclesiam, ut à Sacerdote omnes
omissæ ceremoniæ & sacræ Unctiones sup-
pleantur, ipsæque, quod à se factum, Pastorū
aperiant.
8. Ut si partus sit difficultis, & infanti periculum
immineat, siquidem Caput emerserit, bapti-
zari possit, nec necesse ullum postea fieri Bap-
tis-

tisimum, eo quod in Capite sensus omnes vitæque integritas existat, quæ in membris aliis non reperitur. Et proinde si non nisi aliud aliquod membrum egressum sit, possit quidem urgente periculo infans baptizari, sed si postea totus plene editus fuerit, sitque periculum, ne, antequam Sacerdotis copia haberi possit, moriatur, sub-conditione à se baptizari possit hoc modo : Wenn du nicht getauft bist, so tauße ich dich im Namen des Vaters und des Sohnes und des heiligen Geistes.

9. Ut parentes, quorum proles ipsis obstetricantibus natæ sunt, admonеant, ut eas quamprimum baptizari curent, istud negligentes Pastorū denuncient.

10. Ut sicubi difficiliores sint partus, timorate agant, & peritiores una secum assumant.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES CUM ORATIONIBUS.

Qui etiam, dum quis inungendus est, vel in via, vel in templo, vel saltem quartus & sextus coram infirmitate juxta exigentiam temporis & infirmi conditionem recitari pro libitu possunt.

Antiph. Sana Domine infirmum istum, cuius ossa turbata sunt, & cuius anima turbata est valde, sed tu Domine convertere; & Sana eum, & eripe animam ejus.

Psalm. 6.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. * Miserere mei Dñe, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam concubata sunt ossa mea. * Et anima mea tur-